

eidem parti adverse obtinenti refitiat. ¶ Et si qua persona conquesta fuerit contra aliquem de intromissione alicuius sue possessionis sive de forcia, vel de aliquo novo opere facto in sua possessione, facta querella in criminalibus, dicta querella
 5 pendere debeat donec civiliter cognitum fuerit in dicta causa per modum infrascriptum: ¶ Videlicet quod in civili de tali questione non detur libellus, sed ad petitionem alterius partis locetur terminus utrique parti, scilicet conquerenti et illi contra quem facta fuerit querella, octo dierum peremptorie ad
 10 probandum de iuribus suis in tali questione, et secundum quod in civili per dominium fuerit determinatum, ita et in criminali fieri debeat in condemnando vel absolvendo.

Cap. XXIII. Rubrica de vendicione. Et qualiter propinquus accipere possit possessionem non venditam iure propinquitatis et de denunciatione vendicionis.
 15

Constituimus et ordinamus quod quicumque vendiderit vel aliquo modo alienaverit possessionem aliquam alicui, propinquus illius qui ¹⁾ vendiderit vel alienaverit dictam possessionem habere valeat et possit, si voluerit dictam possessionem sic venditam vel alio modo alienatam pro dicto precio quo vendita fuerit, [et] si se presentaverit cum denariis emptionis ad accipiendum dictam possessionem infra unum annum post venditionem ipsius possessionis, si cride facte non
 20 fuerint. ¶ Et si aliquis vendere voluerit aliquam possessionem, denunciare debeat // ipsam venditionem propinquo suo et ab eo 206 B vel eis scire si eam accipere sive emere voluerit vel non, dicendo eidem propinquo quantum habere potest de dicta possessione, et si talis propinquus ²⁾ cui denuntiatum fuerit recusaverit emere dictam possessionem, sibi denuntiatam per propinquum suum, pro eodem precio quod ab aliis venditor habere potuerit, tunc talis propinquus ²⁾ ipsam possessionem habere non possit, nec eam amplius iure propinquitatis petere non

¹⁾ Aggiunta marginale. ²⁾ *propinquus*.